

<http://notker-balbulus.leperlily.org>

Notker Balbulus
Liber Ymnorum

Tempus Paschale
[N.12] – [N.28]

Laudes salvatori
voce modulemur supplici

Et devotis
melodiis caelesti
domino iubilemus, Messiae,

Qui se ipsum
exinanivit, ut nos
perditos liberaret homines.

Carne gloriam
deitatis occulens
Pannis tegitur
in praesepe, miserans
praecepti transgressorem
pulsum patria
paradysi nudulum.

Joseph, Mariae,
Simeoni subditur.
Circumciditur
Et legali hostia
mundatur ut peccator,
nostra qui solet
relaxare crimina.

Servi subiit
manus baptizandus
et perfert fraudes temptatoris,
fugit persequentum lapides.

Famem patitur,
dormit et tristatur
ac lavat discipulis pedes
deus homo, summus humilis.

Sed tamen inter haec
abiecta corporis
Eius deitas
nequaquam quivit latere,
signis variis
et doctrinis prodita.

Aquam nuptiis dat
saporis vinei.
Caecos oculos
claro lumine vestivit.
lepram luridam
tactu fugat placido.

Putres suscitavit mortuos
membraeque curat debilia.
Fluxum sanguinis constrinxit
et saturavit
quinque de panibus
quina milia.

Stagnum peragravit fluctuans
ceu siccum litus: ventos sedat.
Linguam reserat constrictam.
recluserat aures
privatas vocibus.
febres depulit.

Post haec mira miracula
talique

Sponte sua comprehenditur
et damnatur

Et se crucifigi non despexit:

Sed sol eius mortem non aspexit.

Illuxit dies,
quem fecit dominus,
Mortem devastans
et victor suis
apparens dilectoribus vivus:

Favent igitur
resurgenti
Christo cuncta gaudiis,
Flores, segetes
redivivo
fructu vernant, et volucres
gelu tristi
terso dulce iubilant.

Ergo die ista exultemus,
qua nobis viam vitae
resurgens patefecit Jesus.

Primo Mariae,
dehinc apostolis,
Docens scripturas,
cor aperiens,
ut clausa de ipso reserarent.

Lucent clarius
sol et luna,
morte Christi turbida.
Tellus herbida
resurgenti
plaudit Christo, quae tremula
eius morte
se casuram minitat.

Astra solum mare iocundetur,
et cuncti gratulentur
in caelis spiritalis chori

tonanti.

Is qui prius
habitum mortalem induit
pugnaturus,
immortale iam nunc
Resurgens
et impassibile corpus sumpsit
imperaturus
caelis et terris et mari.
Qui, ad consessum patris eius
exaltatus,
manu dextera
Inde cursum fluminibus dat
et vocem,
Et christianum orbem
firmat semper
et marinos fluctus
compescit sic,
Ut stabile fundamen
ecclesiae suae
potenter componat
Et domus eius splendescat
in finem usque dierum.

Christe, domine, laetifica
sponsam tuam ecclesiam
In his festis, quibus eam,
Christe, tibi sponsaveras
 Allatis illi dotalibus
 valde miris.
Tunc morte tua tristes
sanctas feminas atque viros
 mulsisti resurgendo.
 Nunc residens
 ad patris dextram
omni mortis ab incursu
 nos, Christe, tuere.

Agni paschalis esu
potuque dignas

Moribus sinceris praebeant
omnes se christianae animae,

Pro quibus se deo hostiam
obtulit ipse summus pontifex.

Quarum frons in postis est modum
eius illita
sacrosancto cruore
et tuta a clade Canopica:

Quarum crudeles hostes
in mari rubro sunt obruti.

Renes constringant
ad pudicitiam

Pedes tutentur
adversus vyperas

baculosque spiritales
contra canes iugiter
manu baiulent,

Ut pascha Jesu mereantur
sequi, quo de baratro
victor rediit.

En redivivus
mundus ornatibus

Christo consurgens
fideles admonet

post mortem melius
cum eo victuros.

Grates salvatori ac regi
Christo deo solvant

Omnes insularum incolae,

Quem spectatum diu iam tenent,

Et leges eius mentibus
[...]
captent promptulis,

Quos derelicto populo
delegit Judaeo de Abrahae
carne genito,

Et per fidem quos Abrahae
Natos fecit et cognatos
suos sanctum per sanguinem.
O Christe, consanguinee
naturae nostrae, nos fove
Atque per divinam potentiam
tuere ab omni incursu
inimici et insidiis:

Quem per carnis edulium
Delusisti hamo tuae
maiestatis, fili dei.
Tu resurgens imperitas
non moriturus amplius.
Tu mortalem nostrum
et terream naturam
resurgens
incompactivam fecisti
atque caelis invexisti.

Laudes deo
Concinat orbis
ubique totus
qui gratis est
liberatus

Per summi patris
Indulgentiam:
qui miserans,
quod genus humanum
casu succubuit
veterano,

Misit huc natum
suum in terras,

Ut sua dextra
iacentes caeno
levaret polo
restitueretque patriae.

Hic ergo genitus
illibatae matris utero,

Hic vixit solus homo
absque nevo et sine dolo:

Coluber, Adae malesuasor

Quem sua non infecit fraude,

Quin ipse carnis eius esca
petita avide

Delusus hamo deitatis
victus est in aevum.

Igitur omnes,
quibus princeps huius saeculi
Quae sibi placita sunt
influxit
quosque perdidit:

Huic haerete,
in quo suum nihil invenit.
Nam ipsi adhaerentes
nequaquam
potest perdere.

Gratias nunc et in saecula
Omnipotenti redemptori canamus.

Carmen suo dilecto

Ecclesia Christi canat,
ob quam patrem matremque deserens

Deus noster se vestiit natura
et synagogam respuit.

Christe, tuo sacro latere
sacramenta manarunt illius:

Tui ligni adminiculo
conservatur in salo saeculi.

Hanc adamans coniugem
clauderis Gazae,
sed portas effractus illius:

Hanc etiam hostibus
eruiturus
es congressus tyranno Goliath,

Quem lapillo prosternens unico.

Ecce sub vite amoena, Christe,
ludit in pace omnis ecclesia.

Tute in orto resurgens, Christe,
ortum florentis paradysi tuis

Obstructum diu reseras,
domine, rex regum.

Haec est sancta
solemnitas solemnitatum
Insignita triumpho Christi:
Qui devicit imperium
Male potens diaboli
Suo nos precioso sanguine
Eius de potestate eruens.

Redempti
ergo gratias agamus
nostro redemptori!

Rex regum Christe,
cui angelorum chori
iuge famulantur,

Vultu placido homines
in tuis laudibus sedulos
pius intuere,

Quorum mortibus condolens
in tantum humilis factus es,
ut mortem subires.

Tu devictis
infernorum legibus
resurgens triumphas:
Tu post crucem per orbem
gentibus imperas
omni-potens filius dei.

Judicem nos inspicientem
Cripta cordis rimantem
In commune precemur,
Proprias illi puras
conscientias
possimus ut exhibere.

Deus patiens, iuste
clemens atque tremende:

Tu non pascere
morte morientum,
sed eos suscitare.

Tuis civibus
angelis est gaudium
pravo crimina
sua puniente.

Tu nos serva iugiter
omni a malo,
deus iuste iudex,

Tu vis parcere magis
poenitenti quam plecti.

Nec gaudes, deus,
in perditione,
qui Stigem properant.

Credo pereat
ut unus pusillulus,
non est placitum
tuo in conspectu.

Ut non, quando veneris
omnibus digna
factis redditurus,

Nosmet habeas punire,
sed munerari.

Laus tibi sit,
o fidelis deus,

Qui numquam confundis
in te confidentes,
sed eos magis glorificas.

Tu propugnaculum
adversus hostiles
incursatus et insidias.

Pastor noster,
disruptor laquei,

Tu conservas qui timent te,
valde magnam dulcedinem,
deus, indulgens.

En regnator
caelestium et terrenorum,

Victor fortis
infernorum regnorum,

In sede sibimet digna sedens
rector angelorum,

Humanos labores indulgens,
miserator eorum,
qui timent
potestatis ipsius nutum.

Idcirco mundus omnis
plaudat, iubilet, canat
exultans cunctorum
saeculorum rectori.

Laeta mente
canamus deo nostro,

Qui defectam peccatis
semper novat ecclesiam

Et eam pallidulam de radio
veri solis illuminat

Et terrae de Mesraim eduxit
fornacibus ignitis:

Quique in omni
tribulatione
eam exaudit,

Insuper caelesti nutrit pane
et cultum docet suum.

Quin de petra
melle dulci
eam adimplet.

Summi triumphum regis
prosequamur laude,

Qui caeli, qui terrae regit sceptrum
infernū iure domito,

Huic nomen extat
[...]
conveniēns Idithun:

Saltum de caelo dedit
[...]
in virgīnalem ventrem,
inde in pelagus saeculi.

Principis illius
[...]
disturbato imperio,

Captivitatemque
detentam inibi
victor duxit secum

Denique saltum dederat
hodie maximum
[...]
[...]
nubes polosque
[...]
cursu praepeti transvolans.

Et tremens iudicem
expectet affuturum,
ut duo angeli
fratres docuerunt:

Iam Idithun nostrum
vocibus sedulis
omnes imploremus,

Qui sese pro nobis redimendis
permagnum dedit pretium.

Nam transilivit
omnes strenue montes
colliculosque Bethel.

Postquam illud suo
mitigavit potentatu,
tetras Flegetontis
assiliit tenebras.

Maniplis plurimis
inde erutis, mundum
illustrat suo iubare

Et redivivum iam
suis se praebuit
servis et amicis.

Celebret ergo populus
hunc diem credulus,
cuius morbida
Idithun corpora
in semet ipso
altis sedibus caeli
invexit dei filius,

Qui lesus a vobis
assumptus est in caelum,
iterum veniet,
ut vidistis eum.

Ut a dextris patris
qui sedet, spiritum
mittat nobis sanctum,

In finem saeculi
ipse quoque semper
sit nobiscum.

Christus hunc diem iocundum
cunctis concedat
esse christianis,
amatoribus suis.

Christe Iesu,
fili dei, mediator
naturae nostrae ac divinae:
Terras deus visitasti
aeternus, aethera
novus homo transvolans.

Officiis
te angeli atque nubes
stipant ad patrem reversurum.
Sed quid mirum, cum lactanti
adhuc stella tibi
serviret et angeli!

Tu hodie terrestribus
rem novam et dulcem
dedisti, domine,
sperandi caelestia,

Te hominem
non fictum levando
super sidereas
metas, regum domine.

Quanta gaudia tuos
replent apostolos,

Quis dedisti cernere
te caelos pergere!

Quam hilares in caelis
tibi occurrunt
noveni ordines

In humeris portanti
diu dispersum
a lupis gregem unum!

Quem, Christe, bone pastor,
tu dignare custodire.

O quam mira sunt, deus,
tua portenta:
Qui spretum suis
et extraneis odiosum
Utrisque et amandum
et valde terribilem fecisti
Ex praecognita fame
et erogatione frumenti:
Qui fratris minimi causa
per vas argenteum
cognitus est fratribus:
Qui nos ad terram
promissae mansionis
pharao perducatur extincto.

Sancti spiritus
assit nobis gratia,

Quae corda nostra sibi faciat
habitaculum,

Spiritus alme,
illustrator hominum:

Amator sancte sensorum
semper cogitatum:

Tu purificator
omnium flagitiorum, spiritus,

Ut videri
supremus genitor
possit a nobis,

Prophetas tu inspirasti,
ut praeconia Christi
praecinuisent inclita:

Quando machinam
per verbum suum
fecit deus caeli terrae marium,

Tu animabus
vivificandis
aquas foecundas:

Tu divisum
per linguas mundum et ritus
adunasti, domine,

Ergo nos supplicantes tibi
exaudi propitius,
sancte spiritus,

Tu qui omnium
saeculorum sanctos
Tui numinis docuisti
instinctu amplectendo, spiritus,

Expulsis inde cunctis vitiis
spiritalibus.

Horridas nostrae
mentis purga tenebras.

Infunde unctionem tuam,
clemens, nostris sensibus.

Purificator nostri
oculum interioris hominis,

Mundi cordis
quem soli cernere
possunt oculi.

Apostolos confortasti,
uti tropheum Christi
per totum mundum veherent.

Tu super aquas
foturus eas
numen tuum expandisti, spiritus.

Tu aspirando
das spiritalis
esse homines.

Idolatrias
ad cultum dei revocans,
magistrorum optime.

Sine quo preces omnes cassae
creduntur et indignae
dei auribus.

Ipse hodie
Apostolos Christi
Donans munere insolito
et cunctis inaudito saeculis

Hunc diem gloriosum
fecisti.

Benedicto
gratias deo

Nos referamus benedicti
illius sancta manu

Atque signati digitorum
ipsius charismate.

Qui perditos terrigenas
recreasti

Per unicum natum tuum,
sancte pater,
veram vitam
dans ad mortem –

Natura qui te nostra vestire
[...]
[...] Christe, dignatus es

Et eam pro peccatis humanis
patri tuo obtulisti
acceptum in sacrificium –

Sanctissime spiritus
patris filiique,

Remissio omnium
vera peccatorum

restitutioque
omnis innocentiae

atque sanctitatis
donator eximiae:

Tibi creatori sit patri
principatus –

Tibi redemptori sit regnum
Iesu Christo –

Spirituique
sanctificatori

Et cordium
illuminatori

Perpes potestas.

Notker Balbulus
Liber Ymnorum

Monasterium Sancti Galli
881 – 887

<http://notker-balbulus.leperlily.org>
